

LIBER XV.

Principio quid in singulis quatuordecim superioribus libris dictum sit, exponit breviter ac summam, eoque demum pervenisse disputationem docet, ut Trinitas quæ Deus est jam in ipsis rebus æternis, incorporalibus et immutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata vita promittitur inquiratur. Hanc vero Trinitatem ostendit hic videri a nobis tanquam per speculum et in ænigmate, dum videtur per imaginem Dei, quod nos sumus, ut in similitudine obscura et ad perspicendum difficili. Sic et ex verbo mentis nostræ Verbi divini generationem, nonnisi difficulter, propter eam quæ inter utrumque verbum interesse observatur disparitas quam maxima: et ex dilectione quæ a voluntate adjungitur, Spiritus sancti processionem conjici utcumque et explicari posse demonstrat.

I. VOLENTES in rebus quæ factæ sunt ad cognoscendum eum a quo factæ sunt, exercere lectorem, jam pervenimus ad ejus imaginem, quod est homo, in eo quo cæteris animalibus antecellit, id est, ratione vel intelligentia, et quidquid aliud de anima rationali vel intellectuali dici potest, quod pertineat ad eam rem quæ mens vocatur vel animus. Quo nomine nonnulli auctores linguæ Latinæ, id quod excellit in homine, et non est in pecore, ab anima quæ inest et pecori, suo quodam loquendi more distinguunt. Supra hanc ergo naturam si quærimus aliquid, et verum quærimus, Deus est, natura scilicet non creata, sed creatrix. Quæ utrum sit Trinitas, non solum credentibus, divinæ Scripturæ auctoritate; verum etiam intel-

ligentibus, aliqua, si possumus, ratione jam demonstrare debemus. Cur autem si possumus dixerim, res ipsa cum quæri disputando cœperit, melius indicabit.

II. Deus quippe ipse quem quærimus adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et intelligamus quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro: « Lætetur » cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini: quærite faciem ejus semper¹. » Videtur enim, quod semper quæritur, nunquam inveniri: et quomodo jam lætabitur, et non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire quod quærunt? Non enim ait: Lætetur cor inventientium, sed « quærentium » Dominum. » Et tamen Dominum Deum inveniri possumus quæritur, testatur Isaias propheta, dum dicit: « Quærite Dominum, et mox ut inveneritis, invocate » eum: et cum appropinquaverit vobis, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas². » Si ergo quæsitus inveniri potest, cur dictum est: « Quærite » faciem ejus semper? » An et inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda ne se existimet nihil invenisse, qui quam sit incomprehensibile quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse quod quærit, nisi quia cessandum non est, quandiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior meliorque fit quærens tam magnum bonum, quod et invenendum quæritur, et quærendum invenitur? Nam et quæritur ut inveniatur dulcius, et invenitur ut quærat avidius. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam: « Qui me manducant, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitiunt³. » Manducant enim et bibunt, quia inveniunt,

¹ Psal. cxxv, 3. — ² Isai, lv, 6. — ³ Eccli, xxiv, 29.

et quia esuriunt ac sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit: propter quod ait Propheta: « Nisi » credideritis, non intelligetis¹. » Et rursus intellectus eum quem invenit adhuc quærit: « Deus enim respexit » super filios hominum, sicut in Psalmo sacro canitur, » ut videret si est intelligens aut requirens Deum². » Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

III. Satis itaque remorati fuerimus in iis quæ Deus fecit, ut per ea cognosceretur ipse qui fecit: « Invisibilia » enim ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt intel- » lecta conspiciuntur³. » Unde arguuntur in libro Sapientiae qui « De iis quæ videntur bona, non potuerunt » scire eum qui est, neque operibus attendentes agnove- » runt artificem, sed aut ignem, aut spiritum, aut cita- » tum aërem, aut gyrum stellarum, aut violentiam » aquarum, aut luminaria coeli, rectores orbis terrarum » deos putaverunt: quorum quidem si specie delectati » hæc deos putaverunt, sciant quanto Dominator eorum » melior est. Speciei enim generator ea creavit. Aut si vir- » tutem et operationem eorum mirati sunt, intelligant ab » his quanto qui hæc constituit fortior est. A magnitu- » dine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterat » horum Creator videri⁴: » Hæc de libro Sapientiae pro- » pterea posui, ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quasdam sui generis trinitates quodam modo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quæsisse indicia summæ illius Trinitatis, quam quærimus cum Deum quærimus.

IV. Sed quoniam disserendi et ratiocinandi necessitas per quatuordecim libros multa nos dicere compulit, quæ cuncta simul aspicere non valemus, ut ad id quod apprehendere volumus, ea celeri cogitatione referamus:

¹ Isaï. vii, 9. — ² Psal. xlii, 2. — ³ Rom. i, 20. — ⁴ Sap. xiii, 1-5.

faciam quantum Domino adjuvante potuero, ut quidquid in singulis voluminibus ad cognitionem disputatione perduxim, remota disputatione breviter congeram, et tanquam sub uno mentis aspectu, non quemadmodum res quæque persuasit, sed ipsa quæ persuasa sunt ponam: ne tam longe sint a præcedentibus consequentia, ut oblivionem præcedentium faciat inspectio consequentium; aut certe si fecerit, cito possit quod exciderit relegendo recolligi.

V. In primo libro secundum Scripturas sacras unitas et æqualitas summæ illius Trinitatis ostenditur. In secundo et tertio et quarto eadem: sed de Filii missione et Spiritus sancti diligenter quæstio pertractata, tres libros fecit; demonstratumque est non ideo minorem mittente qui missus est, quia ille misit, hic missus est, cum Trinitas quæ per omnia æqualis est, pariter quoque in sua natura immutabilis et invisibilis et ubique præsens inseparabiliter operetur. In quinto propter eos quibus ideo videtur non eadem Patris et Filii esse substantiam, quia omne quod de Deo dicitur, secundum substantiam dici putant, et propterea gignere et gigni, vel genitum esse et ingenitum, quoniam diversa sunt, contendunt substantias esse diversas, demonstratur non omne quod de Deo dicitur secundum substantiam dici, sicut secundum substantiam dicitur bonus et magnus, et si quid aliud ad se dicitur; sed dici etiam relative, id est, non ad se, sed ad aliquid quod ipse non est; sicut Pater ad Filium dicitur, vel Dominus ad creaturam sibi servientem: ubi si quid relative, id est, aliquid quod ipse non est, etiam ex tempore dicitur, sicuti est: « Domine, refugium factus es » nobis¹, » nihil ei accidere quo mutetur, sed omnino ipsum in natura vel essentia sua immutabilem permanere.

¹ Psal. lxxxix, 1.

In sexto quomodo dictus sit Christus ore Apostolico: « Dei » virtute et Dei sapientia¹, » sic disputatur, ut differatur eadem quæstio diligentius retractanda: utrum a quo est genitus Christus, non sit ipse sapientia, sed tantum sapientiæ suæ pater, an sapientia sapientiam genuerit. Sed quodlibet horum esset, etiam in hoc libro apparuit Trinitatis æqualitas, et non Deus triplex, sed Trinitas: nec quasi aliquid duplum esse Patrem et Filium ad simplum Spiritum sanctum; ubi nec tria plus aliquid sunt quam unum horum. Disputatum est etiam quomodo possit intelligi quod ait Hilarius Episcopus: « Æternitas in Patre, » species in Imagine, usus in Munere. » In septimo quæstio quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus atque sapientia: sic et Spiritus sanctus: nec tamen simul tres sint virtutes aut tres sapientiæ, sed una virtus et una sapientia, sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicantur una essentia, tres personæ, vel a quibusdam Græcis una essentia, tres substantiæ: et inventum est elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiarentur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse veraciter confitemur, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum. In octavo ratione etiam reddita intelligentibus clarum est in substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, sed nec ambos simul aliquid majus esse quam solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos. Deinde per veritatem quæ intellecta conspicitur, et per bonum summum a quo est omne bonum, et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum

¹ 1 Cor. 1, 24.

justo, ut natura non solum incorporalis, verumetiam incommutabilis quod est Deus, quantum fieri potest, intelligeretur admonui: et per charitatem, quæ in scripturis sanctis Deus dicta est¹, per quam cœpit utcumque etiam Trinitas intelligentibus apparere, sicut sunt amans, et quod amatur, et amor. In nono ad imaginem Dei, quod est homo secundum mentem, pervenit disputatio: et in ea quædam trinitas invenitur, id est mens, et notitia qua se novit, et amor quo se notitiamque suam diligit, et hæc tria æqualia inter se, et unius ostendantur esse essentiæ. In decimo hoc idem diligentius subtiliusque tractatum est, atque ad id perductum, ut inveniretur in mente evidentior trinitas ejus, in memoria scilicet et intelligentia et voluntate. Sed quoniam et hoc compertum est, quod mens nunquam esse ita potuerit ut non sui meminisset, non se intelligeret, et diligeret, quamvis non semper se cogitaret, cum autem cogitaret, non se a corporalibus rebus eadem cogitatione discerneret; dilata est de Trinitate, cujus hæc imago est, disputatio, ut in ipsis etiam corporalibus visis inveniretur trinitas, et distinctius in ea lectoris exerceretur intentio. In undecimo ergo electus est sensus oculorum, in quo id quod inventum esset, etiam in cæteris quatuor sensibus corporis et non dictum posset agnoscere: atque ita exterioris hominis trinitas, primo in iis quæ cernuntur extrinsecus, ex corpore scilicet quod videtur, et forma quæ inde in acie cernentis imprimitur, et utrumque copulantis intentione voluntatis, apparuit. Sed hæc tria non inter se æqualia, nec unius esse substantiæ claruerunt. Deinde in ipso animo, ab iis quæ extrinsecus sensa sunt velut introducta inventa est altera trinitas, ubi apparerent eadem tria unius esse substantiæ, imaginatio corporis quæ in memoria est, et

¹ 1 Joan. 14, 16.

inde informatio cum ad eam convertitur acies cogitantis, et utrumque conjungens intentio voluntatis. Sed ideo ista trinitas ad exteriorem hominem reperta est pertinere, quia de corporibus illata est quæ sentiuntur extrinsecus. In duodecimo discernenda visa est sapientia ab scientia; et in ea quæ proprie scientia nuncupatur, quia inferior est, prius quædam sui generis trinitas inquirenda: quæ licet ad interiorem hominem jam pertineat, nondum tamen imago Dei vel appellanda sit vel putanda. Et hoc agitur in tertio-decimo libro per commendationem fidei Christianæ. In quarto-decimo autem de sapientia hominis vera, id est Dei munere in ejus ipsius Dei participatione donata, quæ ab scientia distincta est, disputatur: et eo pervenit disputatio, ut trinitas appareat in imagine Dei, quod est homo secundum mentem, quæ renovatur in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit hominem ad imaginem suam¹, et sic percipit sapientiam ubi contemplatio est æternorum.

VI. Jam ergo in ipsis rebus æternis, incorporalibus et incommutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata, quæ nonnisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem quæ Deus est inquiremus. Neque enim divinorum Librorum tantummodo auctoritas esse Deum prædicat, sed omnis quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum Conditorum, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, injustis justa, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus,

¹ Coloss. III, 10, et Gen. I, 21-27.

beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet ut eum et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, et mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur.

V VII. Sed hæc omnia quæ dixi, et quæcumque alia simili more locutionis humanæ digne de Deo dici videntur, et universæ Trinitati quæ est unus Deus, et personis singulis in eadem Trinitate conveniunt. Quis enim vel unum Deum, quod est ipsa Trinitas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, audeat dicere, aut non viventem, aut nihil sentientem vel intelligentem, aut in ea natura qua inter se prædicantur æquales, quemquam esse eorum mortalem sive corruptibilem, sive mutabilem, sive corporeum; aut quisquam ibi neget aliquem potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum? Si ergo hæc atque hujusmodi omnia, et ipsa Trinitas, et in ea singuli dici possunt, ubi aut quomodo Trinitas apparebit? Redigamus itaque prius hæc plurima ad aliquam paucitatem. Quæ vita enim dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura. Non itaque Deus vivit nisi vita quod ipse sibi est. Hæc autem vita non talis est qualis inest arbori, ubi nullus est intellectus, nullus est sensus. Nec talis qualis inest pecori: habet enim vita pecoris sensum quinque-partitum, sed intellectum habet nullum: at illa vita quæ Deus est, sentit atque intelligit omnia; et sentit mente non corpore, quia spiritus est Deus¹. Non autem sicut animalia quæ habent corpora, per corpus sentit Deus: non enim ex anima constat et corpore: ac per hoc simplex illa natura sicut intelligit

¹ Joan. IV, 24.

sentit, sicut sentit intelligit; idemque sensus qui intellectus est illi. Nec ita ut aliquando esse desistat aut coeperit: immortalis est enim¹. Nec frustra de illo dictum est, quod solus habeat immortalitatem: nam immortalitas ejus vere immortalitas est, in cujus natura nulla est commutatio. Ipsa est etiam vera aeternitas qua est immutabilis Deus, sine initio, sine fine; consequenter et incorruptibilis. Una ergo eademque res dicitur, sive dicatur aeternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis: itemque cum dicitur, vivens, et intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam qua esset sapiens, sed ipse sapientia est. Et haec vita, eademque virtus sive potentia, eademque species, qua potens, atque speciosus dicitur. Quid enim potentius et speciosius sapientia, « Quae attingit a fine » usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter²? Bonitas etiam, atque justitia, numquid inter se in natura Dei, sicut in ejus operibus distant, tanquam duae diversae sint qualitates Dei, una bonitas, alia justitia? Non utique: sed quae justitia ipsa bonitas, et quae bonitas ipsa beatitudo. Incorporalis autem vel incorporeus ideo dicitur Deus, ut spiritus credatur vel intelligatur esse non corpus.

VIII. Proinde si dicamus, aeternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum quod posui quasi tantummodo videtur significare substantiam, caetera vero hujus substantiae qualitates: sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura. Quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur

¹ 1 Tim. vi, 16. — ² Sap. viii, 1.

Deus, et bonus secundum qualitatem: sed utrumque secundum substantiam. Sic omnia caetera quae commemoravimus, unde in superioribus libris multa jam diximus. De quatuor igitur primis quae modo a nobis enumerata atque digesta sunt, id est, aeternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis, unum aliquid eligamus; quia unum quatuor ista significant, sicut jam disserui; ne per multa distendatur intentio, et illud potius quod positum est prius, id est, aeternus. Hoc faciamus et de quatuor secundis, quae sunt, vivus, sapiens, potens, speciosus. Et quoniam vita qualiscumque inest et pecori, cui sapientia non inest; duo vero ista, sapientia scilicet atque potentia, ita sunt inter se in homine comparata, ut sancta Scriptura diceret: « Melior est sapiens quam fortis¹; » speciosa porro etiam corpora dici solent: unum ex his quatuor² quod eligimus, sapiens eligatur: quamvis haec quatuor in Deo non inaequalia dicenda sint; nomina enim quatuor, res autem una est. De tertiis vero ultimis quatuor, quamvis in Deo idem sit justum esse quod bonum, quod beatum, idemque spiritum esse quod justum et bonum et beatum esse: tamen quia in hominibus potest esse spiritus non beatus, potest et justus et bonus nondum beatus; qui vero beatus est, profecto et justus et bonus et spiritus est: hoc potius eligamus quod nec in hominibus esse sine illis tribus potest, quod est beatus.

IX. Num igitur cum dicimus, aeternus, sapiens, beatus, haec tria sunt Trinitas, quae appellatur Deus? Redigimus quidem illa duodecim in istam paucitatem trium: sed eo modo forsitan possumus et haec tria in unum aliquod horum. Nam si una eademque res in Dei natura potest esse sapientia et potentia, aut vita et sa-

¹ Sap. vi, 1. — ² Forte, aequalibus.

pientia; cur non una eademque res esse possit in Dei natura aeternitas et sapientia, aut beatitudo et sapientia? Ac per hoc sicut nihil intererat utrum illa duodecim, an ista tria diceremus, quando illa multa in istam rede-
 gemus paucitatem: ita nihil interest utrum tria ista dicamus, an illud unum in cuius singularitatem duo caetera similiter redigi posse monstravimus. Quis itaque disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies cogitationis ostendet, ut alia jam taceam, hoc unum quod sapientia dicitur Deus, quomodo sit Trinitas? Neque enim sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliquo: sed sua est ipse sapientia; quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse. Dicitur quidem in Scripturis sanctis Christus Dei virtus, et Dei sapientia¹: sed quemadmodum sit intelligendum, ne Patrem Filius videatur facere sapientem, in libro septimo disputatum est; et ad hoc oratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quemadmodum lumen de lumine, Deus de Deo. Nec aliud potuimus invenire Spiritum sanctum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo sapientiam quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem? Non dixi, quomodo credimus; nam hoc inter fideles non debet habere quæstionem: sed si aliquo modo per intelligentiam possumus videre quod credimus, quis iste erit modus?

X. Si enim recolamus ubi nostro intellectui coeperit in his libris Trinitas apparere, octavus occurrit. Ibi quippe, ut potuimus, disputando erigere tentavimus mentis intensionem ad intelligendam illam præstantissimam immutabilemque naturam, quod nostra mens non est.

¹ 1 Cor. I, 24.

Quam tamen sic intuebamur, ut nec longe a nobis esset, et supra nos esset, non loco, sed ipsa sui venerabili mirabilique præstantia, ita ut apud nos esse suo præsentis lumine videretur. In qua tamen nobis adhuc nulla Trinitas apparebat, quia non ad eam quærendam in fulgore illo firmam mentis aciem tenebamus: tantum quia non erat aliqua moles, ubi credi oporteret magnitudinem duorum vel trium plus esse quam unius, cernebamus utcumque. Sed ubi ventum est ad charitatem, quæ in sancta Scriptura Deus dicta est, eluxit paululum Trinitas, id est, amans, et quod amatur, et amor¹. Sed quia lux illa ineffabilis nostrum reverberabat obtutum, et ei nondum posse contemperari nostræ mentis quodam modo convincebatur infirmitas, ad ipsius nostræ mentis, secundum quam factus est homo ad imaginem Dei², velut familiariorem considerationem, reficiendæ laborantis intensionis causa, inter cœptum dispositumque refleximus: et inde in creatura, quod nos sumus, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciere intellecta possemus³, immorati sumus a nono usque ad quartum decimum librum. Et ecce jam quantum necesse fuerat, aut forte plus quam necesse fuerat, exercitata in inferioribus intelligentia, ad summam Trinitatem quæ Deus est, conspiciendam nos erigere volumus, nec valemus. Num enim sicut certissimas videmus trinitates, sive quæ forinsecus de rebus corporalibus fiunt, sive cum ea ipsa quæ forinsecus sensa sunt cogitantur, sive cum illa quæ oriuntur in animo, nec pertinent ad corporis sensus, sicut fides, sicut virtutes quæ sunt artes agendæ vitæ, manifesta ratione cernuntur et scientia continentur, sive cum mens ipsa qua novimus quidquid nosse nos veraciter dicimus, sibi cognita est, vel se cogitat, siye cum aliquid quod ipsa non

¹ 1 Joan. IV, 16. — ² Gen. I, 27. — ³ Rom. I, 20.

est, æternum atque incommutabile conspicit; num ergo sicut in his omnibus certissimas videmus trinitates, quia in nobis fiunt vel in nobis sunt, cum ista meminimus, aspiciamus, volumus, ita videmus etiam Trinitatem Deum, quia et illic intelligendo conspicimus tanquam dicentem, et verbum ejus, id est, Patrem et Filium, atque inde procedentem charitatem utrique communem, scilicet Spiritum sanctum? An trinitates istas ad sensus nostros vel ad animum pertinentes videmus potius quam credimus, Deum vero esse Trinitatem credimus potius quam videmus? Quod si ita est, profecto aut invisibilia ejus per ea quæ facta sunt nulla intellecta conspicimus; aut si ulla conspicimus, non in eis conspicimus Trinitatem, et est illic quod conspiciamus, est quod etiam non conspectum credere debeamus. Conspicere autem nos immutabile bonum, quod nos non sumus, liber octavus ostendit, et quartus decimus, cum de sapientia quæ homini ex Deo est loqueremur, admonuit. Cur itaque ibi non agnoscimus Trinitatem? An hæc sapientia quæ Deus dicitur, non se intelligit, non se diligit? Quis hoc dixerit? aut quis est qui non videat, ubi nulla scientia est, nullo modo esse sapientiam? Aut vero putandum est; sapientiam quæ Deus est, scire alia et nescire se ipsam, vel diligere alia nec diligere se ipsam? Quæ si dici sive credi stultum et impium est; ecce ergo Trinitas, sapientia scilicet, et notitia sui, et dilectio sui. Sic enim in homine invenimus trinitatem, id est, mentem, et notitiam qua se novit, et dilectionem qua se diligit.

XI. Sed hæc tria ita sunt in homine, ut non ipsa sint homo. Homo est enim, sicut veteres definierunt, animal rationale mortale. Illa ergo excellunt in homine, non ipsa sunt homo. Et una persona, id est, singulus quisque homo, habet illa tria in mente. Quod si etiam sic definiamus ho-

minem, ut dicamus, Homo est substantia rationalis constans ex anima et corpore, non est dubium hominem habere animam quæ non est corpus, habere corpus quod non est anima. Ac per hoc illa tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in hominesunt. Detracto etiam corpore, si sola anima cogitetur, aliquid ejus est mens, tanquam caput ejus, vel oculus, vel facies: sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur. Numquid autem possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, ut aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Quapropter singulus quisque homo qui non secundum omnia quæ ad naturam pertinent ejus, sed secundum solam mentem imago Dei dicitur, una persona est, et imago est Trinitatis in mente. Trinitas vero illa cujus imago est, nihil aliud est tota quam Deus, nihil est aliud tota quam Trinitas. Nec aliquid ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem: et tres personæ sunt unius essentialiæ, non sicut singulus quisque homo una persona.

XII. Itemque in hoc magna distantia est, quod sive mentem dicamus in homine, ejusque notitiam, et dilectionem, sive memoriam, intelligentiam, voluntatem, nihil mentis meminimus nisi per memoriam, nec intelligimus nisi per intelligentiam, nec amamus nisi per voluntatem. At vero in illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum, per se autem meminisse tantummodo vel sui vel Filii vel Spiritus sancti; eodemque modo Filium nec sui nec Patris meminisse nisi per Patrem, nec diligere nisi per Spiritum sanctum, per se autem non nisi intelligere et Patrem et se ipsum et Spiritum sanctum; similiter et Spiritum sanctum per Patrem meminisse et Patris et Filii et sui, et per Filium intelligere et Patrem et Filium et se ipsum,

per se autem non nisi dilligere et se et Patrem et Filium : tanquam memoria sit Pater et sua et Filii et Spiritus sancti, Filius autem intelligentia et sua et Patris et Spiritus sancti, Spiritus vero sanctus charitas et sua et Patris et Filii : quis hæc in illa Trinitate opinari vel affirmare præsumat ? Si enim solus ibi Filius intelligit, et sibi et Patri et Spiritui sancto, ad illam reditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio; nec sapientia sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse quam genuit. Ubi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse : ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed Filius intelligit Patri, profecto Filius Patrem sapientem facit. Et si hoc est Deo esse quod sapere, et ea illi essentia est quæ sapientia, non Filius a Patre, quod verum est ; sed a Filio potius habet Pater essentiam, quod absurdissimum atque falsissimum est. Hanc absurditatem nos in libro septimo discussisse, convicisse, abjecisse certissimum est. Est ergo Deus Pater sapiens, ea qua ipse sua est sapientia, et Filius sapientia Patris de sapientia quod est Pater, de quo genitus est Filius. Quocirca consequenter est et intelligens Pater ea qua ipse sua est intelligentia ; neque enim esset sapiens qui non esset intelligens : Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus quod est Pater. Hoc et de memoria non inconvenienter dici potest. Quomodo est enim sapiens qui nihil meminit, vel sui non meminit ? Proinde quia sapientia Pater, sapientia Filius, sicut sui meminit Pater, ita et Filius : et sicut sui et Filii meminit Pater, memoria non Filii, sed sua ; ita sui et Patris meminit Filius, memoria non Patris, sed sua. Dilectio quoque ubi nulla est, quis ullam dicat esse sapientiam ? Ex quo colligitur ita esse Patrem dilectionem suam, ut intelligentiam et memoriam suam. Ecce ergo tria illa, id est, memoria, intelligentia, dilectio

sive voluntas in illa summa immutabili essentia quod est Deus, non Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt, sed Pater solus. Et quia Filius quoque sapientia est genita de sapientia, sicut nec Pater ei, nec Spiritus sanctus ei intelligit, sed ipse sibi ; ita nec Pater ei meminit, nec Spiritus sanctus ei diligit, sed ipse sibi : sua enim est et ipse memoria, sua intelligentia, sua dilectio : sed ita se habere, de Patre illi est, de quo natus est. Spiritus etiam sanctus, quia sapientia est procedens de sapientia, non Patrem habet memoriam, et Filium intelligentiam, et se dilectionem : neque enim sapientia esset, si alius ei meminisset, eique alius intelligeret, ac tantummodo sibi ipse diligeret : sed ipse habet hæc tria, et ea sic habet, ut hæc ipsa ipse sit. Verumtamen ut ita sit, inde illi est unde procedit.

XIII. Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur ut veniant, sed et præterita et futura, cum præsentibus sint cuncta præsentia ; nec singula cogitentur, et ab aliis ad alia cogitando transeat, sed in uno conspectu simul præsto sint universa : quis, inquam, hominum comprehendit istam sapientiam, eandemque prudentiam, eandemque scientiam, quandoquidem a nobis nec nostra comprehenditur ? Ea quippe quæ vel sensibus vel intelligentiæ nostræ adsunt, possumus utcumque conspicere : ea vero quæ absunt, et tamen affuerunt per memoriam novimus, quæ obliti non sumus. Nec ex futuris præterita, sed futura ex præteritis, non tamen firma cognitione conjicimus. Nam quasdam cogitationes nostras, quas futuras velut manifestius atque certius proximas quasi prospicimus, memoria faciente id agimus, cum agere valemus quantum valemus, quæ videtur non ad ea quæ fu-